



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa


Et In octo Partes ... distincta ...

De Ivstitia Et Contractibvs

Vindalium, 1646

Cap. VI. De vitiis religioni oppositis, ad superstitionem, seu excessum
spectantibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38850



CAPVT VI.

De vitiis Religioni oppositis, ad superstitionem, seu excessum spectantibus.

CONCLUSIO I.

Superstitio est vitium Religioni oppositum per excessum, variasque habet species.) De hoc agit S. Doctor 2. 2. quæst. 92. per duos articulos, quorum 1. declarat, quomodo superstitio Religioni opponatur, nempe per excessum; non quia plus exhibeat in cultum diuinum, quàm vera religio; sed quia exhibet cultum diuinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet. Ex quo intelligi potest, quænam sit ratio propria superstitionis. Est enim vitium religioni oppositum, secundum excessum, duobus modis iam dictis.

Articulo autem 2. docet, diuersificari superstitionis species ex parte obiecti: potest enim diuinus cultus exhiberi, vel cui exhibendus est, scilicet Deo verò, modo tamen indebito, & hæc est

DE IVSTITIA. CAP. VI. 257

prima superstitionis species. Vel ei cui non debet exhiberi, scilicet cuiunque creaturæ. Et hoc est aliud superstitionis genus, quod in varias species subdividitur, secundum diversos fines diuini cultus. Ordinatur enim 1. diuinus cultus ad reuerentiam Deo exhibendam, & secundum hoc, prima species huius generis est idololatria, quæ diuinam reuerentiam indebitè exhibet creaturæ. 2. ordinatur ad hoc, quòd homo instruat à Deo quem colit, & ad hoc pertinet superstitio diuinatiua, quæ dæmones consulit, per alia pacta cum iis inita, vel expressa. 3. ordinatur diuinus cultus ad quandam directionem humanorum actuum, secundum instituta Dei qui colitur; & ad hoc pertinet superstitio quarundam obseruationum. Ex quibus collige 4. esse species superstitionis, quarum 1. est superstitio indebiti cultus veri Dei, 2. superstitio idololatriæ. 3. superstitio diuinationum. 4. superstitio obseruantiarum. Addunt aliqui 5. & 6. nempe magiam, & maleficium, de quibus omnibus sigillatim in sequentibus agendum est.

CONCLUSIO II. Prima superstitionis species est illegitimus Dei cultus.) De hac agit S. Thomas 2.2.

quæst. 93. per duos articulos, quorum
 1. docet, in cultu veri Dei esse posse aliquid
 perniciosum. Mendacium enim
 in rebus ad Christianam religionem
 spectantibus est maximè perniciosum;
 potest autem in cultu externo religio-
 nis mendacium factò ipso reperiri, id-
 que dupliciter 1. ex parte rei significa-
 tæ, quomodo iam mendacium est, uti
 cæremoniis veteris legis; quia hoc per-
 inde est ac factò significare, Christum
 esse venturum. 2. ex parte colentis, qui
 agit in persona Ecclesiæ. Nam sicut ille
 falsarius esset, qui quædam proponeret
 ex parte alicuius, quæ non essent ei com-
 missa, ita vitium falsitatis incurrit, qui
 ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo,
 contra modum diuina authoritate ab
 Ecclesia constitutum, & in Ecclesia
 consuetum.

Articulo 2. docet, in cultu Dei esse
 posse aliquid superstitiosum, non qui-
 dem secundum absolutam quantitatem,
 quia nihil potest homo facere, quod
 non sit minus eo, quod Deo debet; sed
 secundum quantitatem proportionis,
 quia scilicet non est fini cultus propor-
 tionatum. Quod tunc habet, quando ex
 se non pertinet ad Dei gloriam, neque ad
 hoc quòd mens hominis feratur in

DE IUSTITIA. CAP. VI. 259

Deum, aut quòd carnis concupiscentiæ inordinatæ refrænentur; aut et iam quia est præter Dei, vel Ecclesiæ institutionem, vel contra consuetudinem communem. Hoc enim tantum reputandum est superfluum, & superstitiosum. Breuius alij dicunt, in cultu diuino excessum esse non posse, ex parte ipsius Dei; posse tamè ex modo, aliisque circumstantiis.

Ex his collige 1. superstitionem illegitimi cultus diuini duplicem esse, nimirum perniciosam, & superfluam. 2. perniciosam esse adhuc duplicem, videlicet ex parte cultus, & ex parte colentis. 3. perniciosam ex parte colentis, esse tantum in cultu communi, non in priuato, quia in hoc non potest proximus cultor aliquid offerre nomine alterius, quod ille non vult. 4. superstitionem superflui cultus esse duplicem, aliã turpem, qua colitur Deus per actum malum, vt si quis sine ipsius authoritate, offerat ei hominem in sacrificium; aliam vanam, quæ etsi turpitudine careat, non est apta ad effectum colendi, vel caret aliqua circumstantia debita vt dum quis celebrans Missam, sine aliqua ex vestibis sacris, animo introducendi nouum ritum in cultu diuino, contra præceptum Ecclesiæ, aut receptã consuetudinem.

Hic autem quædam obseruanda sunt pro praxi. 1. peccatum esse mortale ex genere suo, falsum cultum exhibere: quia in materia religionis, falsitas est res grauis, valdèque perniciosa. Vnde miscere vana diuino officio, tanquam partem illius, peccatum est mortale, contra reuerentiam diuini cultus: sicut & falsas reliquias populo adorandas proponere, aut falsa miracula prædicare. 2. cultum superfluum non esse peccatum mortale, nisi sit contra præceptum grauitè obligans, vel ex graui contemptu oriatur. Vnde leuem aliquam cæremoniam Missæ immutare, non est per se loquendo, nisi peccatum veniale. At autem ieiunare die Dominica, sit superstitiosum, dubitari potest. Qua in re dicendum 1. esse grauem superstitionem ieiunare ea die, more Manichæorum, qui ieiunabant in contemptum Resurrectionis Christi. 2. non esse peccatum, ex deuotione tunc ieiunare, modo absit error, scandalum, & studium singularitatis.

CONCLUSIO III. Secunda species superstitionis est idololatria.) De ea agit S. Doctor 2. 2. quæst. 94. per quatuor articulos, ex quorum 1. colligi potest, idololatriam esse cultum il-

lum, qui creaturæ tanquam Deo exhibetur, eam nempe laudando, inuocando, &c. ac si verè esset Deus. Vnde ad idololatriam propriè sumptam tria requiruntur. 1. vt quis creaturam in æstimatione pro Deo habeat. 2. vt eam affectu interno colat. 3. vt signum externum eiusmodi affectus, & submissionis internæ exhibeat.

Dixi, propriè sumptam, nam non ita propria est idololatria, quando quis creaturæ, quam probè nouit non esse Deum, diuinum honorem vult exhibere. Est & alia idololatria adhuc magis impropria, quæque ficta seu simulata vocari potest, in eo cõsistens; vt quis exhibeat exterius diuinos honores creaturæ, non putans eam esse Deum, neque intendens eam colere tanquam Deum: quomodo interdum nonnulli tormentorum metu idolis sacrificant. Vnde patet 1. idololatriam esse posse cum interiori infidelitate, & sine illa. 2. tres esse species seu modos idololatriæ.

Nota 1. tertiam illam speciem, idololatriæ esse graue peccatum, neque metu pœnatum excusari posse, etsi fides interior retineatur; quia vt patet ex articulo 2. cum exterior cultus sit signum interioris, sicut est perniciosum men-

dacium, si quis verbis asserat contrarium eius, quod per veram fidem tenet in corde; ita etiam est perniciofa falsitas, si quis exteriorem cultum exhibeat alicui, contra id quod sentit in mente. Potest hoc confirmari, quia cum adoratio latriæ non debeat nisi ratione excellentiæ diuinæ, talem adorationem vel exteriùs creaturæ exhibere, hoc perinde est ac factò ipso confiteri, eam esse Deum, quod sanè sine graui veri Dei iniuria fieri nequit. Quare dubitari non potest quin quæuis idololatria, etiam mere externa, inter grauiissima peccata numerari debeat.

Dices, actus externus non est malus, nisi sit voluntarius; at exterior, de qua agimus, non est voluntaria, ergo nec mala. Confirmatur, quia alioqui idololatriam committeret, qui in teatro representationis causa, idolo adorationem externam exhiberet. Respondeo distinguendo minorem, nam etsi illa adoratio non ita sit voluntaria, vt procedat ab interno affectu exhibendi honorem: est tamen voluntaria, quatenus homo liberè vult externum adorationis signum idolo exhibere: quod ad malitiam actus sufficit. Ad confirmationem dico, non esse parem rationem, quia satis notum

DE IUSTITIA. CAP. VI. 263

est, tragœdum etiam exterius fingere, cum intendat solum repræsentare, quod idololatriæ faciunt. Hoc autem non habet locum in ficta idololatria, de qua agimus. Vide quæ de externa falsæ fidei professione lib. 3. cap. 5. dicta sunt.

Nota 2. tres illos idololatriæ modos ita inter se comparari, ut secundus sit formaliter peior quam primus, aut tertius. Primum patet, quia in primo modo idololatriæ, homo ex ignorantia veri Dei, tribuit diuinum honorem creaturæ, existimans eam esse Deum: in secundo autem homo tribuit creaturæ, quam probè nouit non esse Deum, honorem illum quem scit non debere reddi, nisi verò Deo: at iste modus euidenter est peior, cum dicat magnum diuinitatis contemptum, qui in alio non includitur. Secundum ostenditur, quia cum grauitas peccati maximè à voluntate petenda sit, multò peius est, tribuere creaturæ honorem diuinum externum, cum affectu interno honorandi, quam sine illo.

Nota 3. ex omnium Catholicorum sententia, illum solum cultum diuinum, qui creaturæ tanquam Deo exhibetur, esse idololatriam; adeoque recentiores hæreticos decipi, quatenus docent, com

mitti etiam peccatū idololatriæ quando aliquis bona intentione colit verum Deum, sine Dei verbo, & mandato, id est, modo aliquo in scriptura minimè præscripto. Et sanè si hæc vt existimant, vera esset idololatria, sequeretur eos omnes esse idololatrias, qui aliquè actū religionis exercent, modo quodam inordinato, vērbi causa, qui orat ex vana gloria: imò omnes qui iurant, aut qui vouent, cum eiusmodi actus in scriptura præcepti non sint. Cūque idololatria sit graue peccatum, quicumque Deo exhiberet honorem aliquem ab eo minimè præceptum, eum grauius offenderet, quod planè absurdum est.

Notandum 4. ex dictis sufficienter posse colligi, contra eosdem hæreticos, nullam esse, idololatriam, in eo cultu quem exhibemus Eucharistiæ, Sanctis, eorum imaginibus, & reliquiis: siquidem ad committendam idololatriam, duo requiruntur, 1. vt creaturæ cultum diuinum, exhibeas. 2. vt talem cultum creaturæ, tanquam Deo exhibeas. Istæ autem conditiones non reperiuntur in cultu, quem rebus prædictis exhibemus. Nam in primis quando Eucharistiam adoramus, exhibemus honorem diuinum non creaturæ, sed Christo, qui ve-

DE IVSTITIA. CAP. VI. 265

rus est Deus : esto species sacramentales quibus Christus tegitur, coadoremus, eo modo quo dum adoramus Regem, illius purpuram coadoramus.

Deinde, quando Sanctos colimus, non eis exhibemus cultum diuinum, sed longè inferiorem, siue eos rogemus, vt pro nobis apud Deum intercedant, siue Deo in eorum honorem, templa, vel altaria extruamus, &c, ista enim & similia honoris signa Deo conuenire non possunt, cum aliquam inferioritatem & subiectionem arguant in ijs, quos veneramus. Quamuis autem cultus externus Sanctis exhibitus, aliquando conueniat cum honore quem Deo exhibemus; non tamen intendimus eos honorare, tanquam Deos, sed tanquam ipsius amicos, qui tanta apud eum gratia valent, vt nobis multa bona impetrare possint. Vnde à fortiori colligi potest, nullam esse idolatriam in adoratione imaginum, vel reliquiarum, vt à Catholicis vsurpari solet; cum ista non adorentur nisi per ordinem ad Sanctos quorum sunt imagines, vel reliquiæ.

Quæri hic potest, an Eucharistia possit, vel debeat adorari sub conditione quòd species sint consecratæ. Respondeo cum distinctione, nam si est aliqua

de Iust.

M

probabilis ratio dubitandi, num consecratio ritè peracta sit, conditio illa potest, & debet explicitè apponi, vt sic vitetur periculum idololatriæ. Si verò hic & nunc nulla est probabilis causa dubitandi, de veritate consecrationis, non est necesse prædictam conditionem explicitam apponere, in adoratione Eucharistiæ: cum tunc periculum idololatriæ probabiliter non timeatur. Imo non potest in eo casu, eiusmodi conditio apponi sine aliqua culpa vel indecentia: quia sicut indecens esset dicere Regi, de cuius legitima electione probabiliter non dubitatur veneror te si Rex es: ita quando non dubitatur de veritate consecrationis, non sine irreuerentia diceret quis ad Christum, adoro te, si sub speciebus existis, vel quid simile. Cæterùm quia nihilominus absolutè possibile est, hostiam non esse legitimè consecratam, ad vitandum omne periculum irreuerentiæ, sufficit adorare Eucharistiam sub conditione implicita seu virtuali quæ tunc habetur, quando odorans ita habitualiter affectus est, vt hostiam non adoraret, si constaret Christum ibi non esse.

CONCLUSIO IV. Tertia species superstitionis est diuinatio, quæ rur-

sus in varias species subdividitur.) De
 hac agit S. Thomas 2. 2. quæst. 95. per
 octo articulos, quorum 1. docet, diuina-
 tionem esse peccatum, quia est vsurpa-
 tio cognitionis, quam solus Deus habet
 de futuris contingentibus. Talia enim
 futura non possunt cognosci in suis cau-
 sis, eo quòd illæ non sunt determinatæ
 ad unum, sed in seipsis dumtaxat. At
 quamvis homines possint cognoscere
 eiusmodi effectus in seipsis, quando
 sunt præsentis, non tamen antequam
 fiant: hoc enim proprium est Dei, qui so-
 lus in sua æternitate videt futura, quasi
 præsentia. Quare qui sine revelatione
 Dei, eiusmodi futura prænunciare præ-
 sumunt, manifestè sibi vsurpant quod
 Dei est, adeoque graviter peccant.

Articulo 2. docet, diuinationem esse
 speciem superstitionis, quia superstitio
 importat indebitum cultum diuinitatis:
 ad cultum autem Dei pertinet ali-
 quid dupliciter. 1. cùm aliquid Deo of-
 fertur, vt sacrificium. 2. cùm aliquid
 diuinum assumitur, vt in iuramento. Et
 ideò ad superstitionem pertinet, non so-
 lum cum sacrificium dæmonibus offer-
 tur per idololatriam, sed etiam cum ali-
 quis assumit auxilium dæmonum, ad a-
 liquid faciendum, vel cognoscendum, vt
 fit in diuinatione.

Articulo 3. duas facit generatim species diuinationis, alteram, quâ expressè dæmon inuocatur; alteram, quâ dæmon præter intentionem hominis, se occultè ingerit ad prænuntiandum futura; in qua tamen est tacita illius inuocatio, quatenus adhibentur media vana, ad occultas res dignoscendas. Et hanc facit iterum duplicem, vnâ; quando ad præcognoscendum futura, aliquid consideramus in dispositionibus, aut motibus aliquarum rerum; aliam, dum aliquid facimus, vt nobis manifestetur aliquid occultum.

Porro ad primum caput reduci 1. præstigium, seu diuinationem per præstigiosas apparitiones. 2. diuinationem somniorum. 3. Necromantiam, quæ est diuinatione per mortuorum apparitiones. 4. diuinationem per Pithones, quæ habet locum, quando dæmones futura prænuntiant per homines viuos, vt patet in arreptitiis. 5. Geomantiam, quæ fit per signa in aliquo corpore terrestri, vt ferro, ligno; &c. apparentia. Hydromantiam, quæ fit in aqua; æromantiam, quæ in aère; pyromantiam, quæ in igne; & aruspicium, quod fit in visceribus animalium dæmoni immolato-
rum.

DE IUSTITIA. CAP. VI. 269

Ad secundum caput, in quo est tacita tantum dæmonis inuocatio, reuocatur 1. astrologia iudiciaria, seu genethliaca, quæ fit per motus, variasque positiones syderum. 2. augurium, quod à garritu auium. 3. auspicium, quod ab earum volatu sumitur. 4. omen, quod ex quibusdam hominum verbis, absque intentione dictis captatur. 5. chyromantia, quæ in lineamentis manuum: & 6. spatulo mantia, quæ in quibusdam signis, in spatula alicuius animalis apparentibus, fundamentum habet. Aliqui addunt. 7. Metoposcopiam, quando ex fronte futurorum cognitio quæritur. 8. Physiognomiam, quando signa totius corporis humani eo fine inspiciuntur. 9. Onirocriticam, quæ ex somniis occulta inuestigat.

Tertium denique caput diuinationum, in quibus etiam non inest nisi tacita dæmonis inuocatio, continet 1. diuinationem quæ fit ex protractione pūctorum, quod pertinet ad artem Geomantiæ, 2. diuinationem per sortes, vt dum futurorum cognitio quæritur per figuras ortas ex plumbo liquefacto, in aquam proiecto, suo ex quibusdam schedulis scriptis, vel non scriptis in occulto repositis, dum consideratur quis quam

accipiat; vel etiam ex festicis inæqualibus propositis, quis maiorem, vel minorem, accipiat; vel taxillorum projectione, quis plura puncta proiciat; vel etiam dum attenditur, quid ^saperienti librum occurrat.

CONCLUSIO V. Diuination est illicita, siue fiat per expressam, siue per tacitam dæmonis inuocationem.) Prior pars est S. Thomæ art. 4. vbi ait omnem diuinationē quæ fit per expressam inuocationē dæmonis, esse illicitam, duplici ratione; quarum prima sumitur ex parte principii diuinationis, quod est pactum expressè cum dæmone initum per illius inuocationem: hoc enim est omninò illicitum. Secunda sumitur ex parte futuri euentus, nam dæmon, etsi aliquādo vera dicat, intendit hominēs assuefacere ad hoc, vt ei credatur, & sic intendit producere ad aliquid, quod sit humanæ salutis nociuum. Neque obiicias apparitionem Samuelis de qua 1. Regum 28. incertū enim est, an ipsa Samuelis anima apparuerit, an verò aliquod phantasma dæmonis arte fabricatum; & si primum dicas, id in specialem Dei dispensationem referendum est.

Posterior pars suadetur, quia diuinationo per pactum cum dæmone implicitū,

in eo consistit, ut quis seriò speret, se consequuturum cognitionem rei occultæ, vsurpando signum aliquod nullam habens connexionem naturalem cum re illa, aut vim eam indicandi. Cùm enim Deus eiusmodi signa non instituerit, & sancti Angeli nihil reuelent hominibus, sine voluntate Dei, qui prædicta signa adhibet, censetur rei occultæ cognitionem expectare ab ipso dæmone, esto expressè eum non inuocet. In hoc autem grauis est deordinatio, quia sic aliquid expectare à dæmone; est illum colere, & societatem quandã cum eo habere, quod prorsus est illicitum. Quamquam negari non potest, quin diuinationis quæ fit cum expressa dæmonis inuocatione, sit peccatum longè grauius, quàm quæ pactum dumtaxat implicitum, continet; quia ut ait S. Doctor artic. 3. in responsione ad 1. multò grauius est dæmones inuocare, quàm aliqua facere, quibus dignum sit ut se dæmones ingerant.

Ex his autem collige 1. diuinationem futurorum contingentium, & casualium quæ fit per astra, esse superstitiosã & illicitã; non autem futurorum naturalium quæ ex cœlestium dispositione necessariò eueniunt, ut habetur artic. 5.

Cuius respons. ad 2. notatur, quòd Astrologi sæpè vera prænantient, contingere dupliciter. 1. quia multi homines passiones corporales sequuntur. 2. præter dæmones se immiscentes, seu quia dæmones, Deo permittente, curant quæ prædicta sunt evenire, vt sic facilius homines decipiantur.

Collige 2. non esse illicitam diuinationem per somnia, quæ procedunt ex diuina reuelatione. Neque eam quæ sumitur ex somniis, per causas naturales excitatis; dummodo non sit nisi de effectibus, ad quos eiusmodi causæ se extendunt. Esse tamen illicitam diuinationem per somnia, quando procedit ex reuelatione dæmonum, cum quibus habentur pacta expressa, vel tacita vt traditur artic. 6.

Collige 3. ex artic. 7. diuinationem per auguria, vel omina illicitam esse, si extendatur vltra id, ad quod potest pertingere, secundum ordinem naturæ, vel diuinæ providentiæ. Nec refert quòd Ioseph Genes. 44. dixerit, non esse sibi similem in scientia augurandi, hoc enim non dixit seriò, sed ioco, loquens fortè secundum quod vulgus de eo opinabatur, vt ex Augustino notat S. Doctor in responsione ad 1.

¶ Collige 4. quid dicendum sit de diuinatione per sortes, quæ triplex est, nempe diuisoria, qua inquiritur quid cui sit exhibendum: consultoria, qua inquiritur quid agere oporteat; & diuinatoria, qua ad futurorum cognitionem refertur. Itaque S. Thomas art. 8. docet 1. peccatum esse sortibus vti ea intentione, vt actus humani requisiti ad sortes, secundum dispositionem stellarum sortiantur effectum. 2. si effectus expectetur ex fortuna, quod solum fieri potest in diuisoria arte, non esse forte nisi vitium vanitatis, 3. si sortium iudicium expectatur à dæmonibus, tales sortes esse illicitas & secundum canones prohiberi. 4. quandoque expectari à Deo, & talem sortem secundum se non esse malam. Posse tamen in hoc contingere peccatum quadrupliciter, nempe si absque necessitate, vel absque debita reuerentia, vel pro terrenis negotiis, vel in electionibus Ecclesiasticis, quæ ex inspiratione Spiritus sancti fieri debent, ad tales sortes recurratur.

CONCLUSIO VI. Quarta species superstitionis est, quæ in quibusdam vanis & illicitis obseruantis consistit.) De hoc agit S. Thomas 2. 2. quæst. 96. per quatuor articulos, quorum 1. docet,

illicitum esse vti obseruantis artis notoriæ: quia talis ars vtitur quibusdam ad scientiam acquirendam, quæ non habent vim eam causandi, sicut inspectione quarundam figurarum, & prolatione quorundam ignotorum verborum, &c. Et ideò tales res non vsurpantur vt causæ, sed vt signa, quæ cum ex Dei institutione talem significationem non habeant, sequitur eam ex pacto siue expressè, siue tacitè cum dæmonibus inito illis competere.

Articulo 2. docet illicitas esse obseruationes, ad corporum immutationem ordinatas, puta ad sanitatem, vel ad aliquid huiusmodi; quia adhibere causas naturales ad effectum, quem non videntur naturaliter causare posse, non est eas adhibere tanquam causas, sed tanquam signa. Et sic pertinet ad pacta significationum cum dæmonibus inita. Consequenter verò notat in responsione ad 2. corpora artificialia vt sic, nullam virtutem sortiri ex impressione cælorum, sed tantum secundum materiam naturalem. Vnde colligit, imagines quas astronomicas vocant, ex operatione dæmonum habere effectum: cuius signum est, quòd necesse est eis inscribi quosdã characteres, qui naturaliter ad nihil o-

perantur: cùm figura non sit naturaliter actionis principium. In hoc tamen differre imagines astronomicas, à necromanticis, quòd in necromanticis fiunt expressæ inuocationes. & præstigia quædam, adeoque spectant ad expressa pacta cum dæmonibus inita: at in aliis imaginibus sunt quædam tacita pacta, per quædam figurarû seu characterû signa.

Artic 3. docet obseruationes quæ ordinantur ad cognitionem futurorû euentuum, siue bonorum, siue malorum, esse illicitas, quòd probat ratione iam dicta: quia homines eiusmodi obseruationes attendunt, non vt causas, sed vt signa euentuum futurorum. Non obseruantur autem vt signa Deo tradita, cùm non sint introducta ex authoritate diuina, sed magis ex vanitate humana, cooperante dæmonum malitia, qui nituntur animos hominum eiusmodi vanitatibus implicare. Et ideò manifestum est, huiusmodi obseruationes supersticiosas esse & illicitas, quales sunt. dum quis è domo egrediens, obseruat num membrû aliquod saliat, num ad limen domus offendat, &c. Eodem refertur obseruare dies quosdam tanquam faustos vel infastos ad præscindendos vngues, ad lauandam faciem, &c. Item recitare

certam orationem, vt scias cui nubere debeas; dum ludis surgere aliquantulum, vel mutare locum, vt malam fortunam abiicias. Ista enim & similia superstitiosa sunt & illicita.

Nota ex responsione ad 2. quòd à principio in istis obseruationibus aliquid veri homines experti sint, id accidisse casu, sed postmodum cum homines incipiunt suum animum huiusmodi obseruantis implicare, multa secundum illas euenire per deceptionem dæmonum, vt sic homines curiosiores fiant, seque magis inserant multiplicibus laqueis perniciosi erroris.

Art. 4. docet in omnibus incantationibus, vel scripturis ad collum suspensis, duo cauenda esse. 1. quid sit quod profertur, vt scribitur, quia si contineat ignota nomina, vel falsitatem aliquam, illicitum iudicari debet. 2. ne cum verbis sacris contineantur aliqua vana, verbi causa, aliqui characteres inscribi præter signum crucis. Item ne spes habeatur in modo scribendi, aut ligandi, aliaue huiusmodi vanitate; quia hoc iudicaretur superstitiosum.

Vnde in responsione ad 2. notat, incantationes serpentū, vel aliorum animalium non esse illicitas, si habeatur so-

lūm respectus ad res sacras, & ad virtutem diuinam: plerumque tamen habere illicitas obseruantias, & per dæmones sortiri effectum, præcipuè in serpentibus: quia serpens fuit primū dæmonis instrumentum, ad hominem decipiendum. Et in resp. ad 3. ait, eandē esse rationem de portatione reliquiarū; quia si portentur ex fiducia Dei, & Sanctorum quorum sunt reliquiae, id non erit illicitum; si autem circa hoc attendatur, quod vas est triangulare, aut aliquid huiusmodi, non pertinens ad reuerentiam Dei, & Sanctorum, est superstitiosum & illicitum.

CONCLUSIO VII. Ad prædicta reducuntur duæ aliae species superstitionis, nempè Magia superstitiosa, & maleficium, de quibus pauca hoc loco dicenda sunt.) Quod attinet ad Magiam superstitiosam, Nota 1. eam nihil aliud esse quàm rationem & facultatem faciendi mira per signa, ope dæmonū. 2. eam distingui à magia naturali, quòd hæc facit mira per causas naturales, sine ope dæmonis. 3. operationem aliquā esse magicam dignosci tum ex causa, vt si dæmon inuocetur, si verba ignota, characteres, vel imagines adhibeantur; tum ex modo operandi, vt si quis bre-

uissimo tempore, vel loco valdè distanti fanetur; tum ex conditione affectus, si nempe excedat humanam industriam.

4. eiusmodi operationes fieri vel circa elementa, in quibus magi excitant tonitrua, grandines, ventos, inundationes, &c. vel circa hominum corpora, quæ possunt celerrimè ab vno loco in alium transferre, exteriùs transformare, inuisibilia reddere, ita vt ampliùs non videàtur à præsentibus; à morbis curare, & vice versa morbos iis inferre. Vel denique circa hominum animas, quas possunt excitare ad odium, vel amorè, quoadiu corpori coniunctæ sunt, etsi in separatas talem potestatem non habeât.

5. Magiam esse grauissimum peccatum, ex suo genere, quia arguit pactum expressum, aut tacitum cum dæmone; & plerumque coniungi cum aliis grauibus peccatis, nempe apostasia, idololatria, blasphemia, sacrilegio, homicidio, luxuria, &c.

Iam quòd spectat ad maleficium, quædam hic obseruanda sunt, ex communi sententia 1. Maleficium esse artè nocendi aliis, ex pacto expresso, aut tacito cum dæmone, Vnde differt à Magia, quæ non nisi ad potentiam ostendendam vtitur dæmone. 2. maleficium

duplex esse, quorum vnum tendit ad excitandum turpem amorem, & inde rixas, & odia, diciturque amatoriu; aliud ad mala inferenda ipsis hominibus, vel rebus ad eos spectantibus, vocaturque veneficium. 3. effectus illos non semper à maleficis immediatè procedere, sed mediante dæmone, qui apposito aliquo signo statim nocumentum infert ei, cui maleficus nocere intendit. Et ita dæmō afficit, paulatimque consumit illius corpus, cuius figuram ceream acu pungit maleficus, Deo sic permittente, ex iusto iudicio. 4. dubium esse, an liceat rogare maleficum, vt maleficium tollat; pro cuius difficultatis solutione.

Dico primo, illud certum esse apud omnes Theologos non licere ob quemcunque finem maleficium alio maleficio tollere. Quia numquam sunt facienda mala, vt eueniant bona, ex Paulo Roman. 3. maleficium autem cum non fiat sine inuocatione, & auxilio dæmonis, per se ita malum est, vt ex nullo sine honestari possit.

Dico secundò, neque fas esse petere à malefico vt maleficium tollat alio maleficio, etsi ad hoc paratus sit. Ratio est, quia ob nullum commodum nostrū, petere licet ab aliquo, quantumuis pa-

rato, vt id efficiat. quod sine peccato præstare nequit. At malèficus non potest sine grauissimo peccato, maleficiũ alio maleficio tollere; quia vt hoc faciat, debet nouum struere maleficio, quod sine aliqua dæmonis inuocatione, & pacto cum illo fieri nequit. Illud ergo à malefico petere nequãquam licet.

Dico tertio, neque licere petere generatim à malefico, vt maleficio tollat, etsi non addas, vt tollat illud alio maleficio, quando constat à parte rei, non posse maleficio ab illo tolli, sine alio maleficio; siue quia nullum datur medium, quo maleficio licitè tolli possit; siue quia etsi sit medium aliquod licitum illud à malefico ignoratur. Et ratio est, quia hoc esset petere ab eo id, quod sine peccato exequi non potest, vel absolutè, vel certè suppositâ mediij liciti ignorantia.

Dico quarto. si probabiliter constat, maleficum nosse aliqua media licita, ad tollendum maleficio, licet ab eo petere, vt maleficio tollat, etsi moraliter certus sis illud non ablaturum, nisi alio maleficio. Ratio est, quia tunc petis rem per se licitam, & honestam, nempe ablationem maleficij: ille verò potest & debet sine peccato quod petis exe-

qui: si ergo secus faciat, non tibi petenti, sed illi soli illicitè operanti peccatum imputabitur. Ad eum modum quo, non tibi imputatur peccatum vsurarij, à quo mutuum petis, etsi ille mutuando peccet. quia potest mutuum dando, peccatum vitare. Vnde sicut inculpatè accipere potes pecunias ab vsurario, etsi illas dare nolit, nisi sub conditione vsuræ: ita licitè potes acceptare ablationè maleficij, etsi maleficus, qui media licita nouit, illud auferre nolit, nisi medio illicito. Quia in neutro casu cooperaris peccato alterius, sed vteris dumtaxat illius peccato, in tuam utilitatem: quæ res non est illicita.

Dico quinto, licitum esse cuique tollere ligamina, annulos, glomos capillorum sub limine defossos, & similia signa quibus malefici vtuntur, ad nocuum aliquid inferendum, si id fieri possit sine maleficio. Ratio est, quia eiusmodi signa destruere, non est inuocare dæmonem, sed potius impedire, & rescindere inuocationem illius. quæ veluti virtualiter continuatur, quandiu signa illa permanent. Neque id etiam est dæmonem honorare, cum ea signi ablatio per se loquendo, eo inuito fiat. Hoc ergo nihil aliud est quàm destruere

id quo dæmon ad nocendum allicitur; quod certè laudabile est, & meritorium.

Confirmatur; nam si quis ineat pactū cum Sempronio, vt appposito aliquo signo ad fenestram Titij, ille statim domū ingrediatur, & Titium interficiat; qui nouit signum illud ibi eo fine appositū esse, potest, imo debet ex chrirate illud tollere, & tantū abest, vt signum auferendo dicatur prædicto pacto consentire, aut illud confirmare, quin potius censebitur illud detestari, & rescindere. Ergo à simili idem in proposito dicendum est.

Dices, qui signum destruit, non tantū intendit, vt dæmon nocere desinat, sed etiam vt sanitatem restituat; talis autem effectus non potest à dæmone expectari, sine inuocatione illius, & pacto cum eo inito.

Respondeo, eum qui signum aufert, posse, & debere tantum intendere, vt auferatur id quo dæmon allicitur ad nocendum, vt ita fortè nocere desinat. Quod vt liquet, sine vlllo pacto, & confæderatione cum dæmone fieri potest. Quod si ipsemet dæmon ablato signo, non solū nocere desinit, sed etiam ad sanitatem reddendam positiuè opera-

tur, hoc facit ille ex mera sua voluntate, aut vt fidem datam seruet maleficus; non autem vt inductus ab eo qui signū abstulit, qui tarū negatiuè, seu permissiue se habet ad operationem illam dæmonis; sicut etiam permittit, vt maleficium, in ipsum maleficium aut aliquem alium transferatur.

Hinc duo collige. Primò, quando constat maleficum certis apposis signis alicui nocere posse eum cogi ad ea tollenda; quia ea ablatio licitè fieri potest. Quin licet addere minas, & verbera eò quòd hoc non tam est iniuriam malefico inferre, quàm ab eo illatam repellere; sicut dum quis crumenam suam extorquet à fure. Non licet tamen priuatâ authoritate maleficum grauiter plectere: quia hoc pertinet ad Iudicem, qui solus est legitimus vltor sceleris.

Collige secundò, quando maleficus confitetur se alicui nocuisse, apponendo signum in aliquo loco, confessarium debere eum impellere, vt tale signum amoueatur; imò & vt reparet damnum, si quod ex maleficio sequutum est.

Dico sextò, licitum esse apponere signa per se indifferentia, quibus positis destruitur pactum cum dæmone initū, & dæmon cessat nocere. Sequitur ex

dictis. Nam si licet tollere signa, eo fine ut pactum nocendi dissoluatur, & nocumentum esset, cur non licebit alia signa apponere, ob eundem finem. Hoc enim non est dæmonem inuocare, aut pacisci cum illo, sed potius præcedens pactum destruere, & illius dissolutione continuationem nocumenti impedire.

Confirmatur, nam à parte rei positio talis signi, nihil aliud est quam ablatio signi, quo dæmon mouetur ad nocendum. Sicut enim pactus est se nociturum, quamdiu annulus, verbi causa, in tali loco remanebit: ita, & quamdiu maleficio affectus corpus suum non lauabit, aut nisi sagam repercutiat, aut nisi ter recitet orationem Dominicam summo mane, verso ad orientem vultu, &c. Unde sicut in priori casu annulus in tali loco positus, est signum quo mouetur dæmon ad nocendum: ita in posteriori, defectus lotionis, aut percussionis, aut recitationis est signum quo allicitur ad continuandum maleficium. Hoc autem signum, cum in priuatione consistat, non potest tolli nisi per actionem oppositam, nempe per corporis lotionem, aut percussionem maleficæ, vel ternam recitationem orationis Dominicæ. Si ergo tollere licet signum, quo Dæmon

ad nocendum, moueri solet, nulla ratio est, cur minimè liceat eas operationes positiuas, sine quibus signa eis opposita tolli non possunt, exercere: saltem quando ex se malæ non sunt.

Unde si constet ex relatione malefici, pactum tale esse, vt dæmon ablaturus sit maleficium, si tria sacra celebrentur, totidem possunt celebrari, vt maleficiū cesset. Neque in hoc vllam superstitionem deprehendo, cum celebrans non intendat inuocare dæmonem de nouo, aut ex vi præcedentis pacti illum inducere ad tollendum maleficium, sed tantum velit trium Missarum celebratione amouere, vt sic dicam, priuationem celebrationis tot Missarum, quæ priuatio est signum quo dæmon ad vlteriùs nocendum allicitur: pactum enim illius est, vt pergat nocere, donec tria sacra celebrata sint, vt dictum est.


Dices, vti re aliqua vana ad aliquem effectū, est superstitiosum, atque adeo illicitum; atqui lotio corporis, percussio sagæ, & similia signa sunt res vanæ, quæ nullam habent vim producendi effectum qui intenditur. Ergo non licet ea signa apponere. Quid, quod determinatus ille orationum, aut Sacrorum numerus superstitionem sapit.

Respondeo distinguendo maiorem. Non licet quidem re vana uti, ut vi illius, aut per positivam dæmonis operationem, effectus, aliquis positivus obtineatur; At licet re vana uti pro signo, quo posito, nihil est quo, tanquam obiecto, dæmon alliciatur ad malè agendum.

Porrò parum interest, siue signum illud sit unū Sacrum, siue tria, aut quinque; cum hîc nihil aliud spectandum sit, quam, quod celebratio tot sacrorum, sit signum, quo posito, dæmon nocere desinet: sicut ablatio annuli est item signum, quo dæmon inducitur ad amplius non nocendum. Quare sicut ablatio annuli nulla est superstitio, ita neque in celebratione tot Missarum.

Dico septimò, si maleficus qui signum apposuit, est ignotus, aut illam convenire non potes. licet rogare aliū, qui novit quo in loco signum positum sit, ut illud dissolvat, siue notitiam illam naturaliter adeptus sit, eo quòd, verbi causa, fuit socius sceleris, sine ministerio dæmonis; si tamen signum ignorat, non potes eum inducere, ut arte sua utatur ad investigandum, quo in loco positum sit. Quia hoc esset eū inducere ad peccatum, nimirum ad in-

nocandum dæmonem, eo fine vt ab illo certior fiat de loco in quo maleficij signum latet. Si verò arte dæmonis iam id nouit, potes illius scientia vti in tuū commodum: & licet ille peccauerit talem scientiam comparando, laudabiliter tamen ea vti potest, ob finem honestum, qualis est ablatio signi ad nocendum appositum; quemadmodum meretrix potest cum laude, in pios vsus insumere pecunias turpiter acquisitas.



CAPVT VII.

De vitijs religioni oppositis, ad irreligiositatem. seu defectum spectantibus.

CONCLUSIO I.

PRima species irreligiositatis est tentatio Dei.) De hac agit S. Thomas 2 2. quæst. 97. per quatuor articulos, quorum 1. docet: tentare esse propriè experimentum sumere de eo qui tentatur, idque duobus modis posse fieri nempe verbis, & factis; & quidem vel expressè, vt dū quis dicto, vel facto intendit experimentum sumere de ali-